



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

De puritate in illo requisita, qui Iesum in gloria contueri desiderat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

ut hanc vitam in omni puritate
atque integritate trafigens, e-
sum tandem, videre atque cum
illo in perpetuas æternitates
collatari valeam.

V I T A M P R A E S T A
P V R A M.

*De puritate in illo requisita qui le-
sum in gloria contueri desi-
derat.*

C O N S I D E R A T I O.

*Beneficium
baptismi
quam mag-
num sit?*

Gen. 6.

Quando Sacrosancto Baptismi
lanacro, Anima fidelis, ablu-
ta fuisti, Spiritus sanctus ab
omnibus te peccatis emundavit, a-
deoq; in recta semita sempiternæ fa-
cilitatis constituit. Quod beneficiū
perfecto maximum & singulare
fuit. Cum Deus vniuersum terrarū
orbem diluuiō delere constituis-
set Noemo præcepit vt arcam, in
qua ipse cum tota familia sua sal-
uaretur, construeret: obtempera-
uit S. Patriarcha diuinæ iussioni ar-
camque fabricatus est: in quam in-
gressus

gressus, ab imminente eluionis vniuersalis exitio saluus & incolumis euasit. Quotquot autem extra eam reperti fuere, ab aquis obruti, interierunt. Per hanc arcam Ecclesiam Christianam intelligimus: in quam qui suscipiuntur, atque in ea sanctè atque inculpate conuersantur: diluuium euadunt: Qui verò aut nunquam in eam recepti fuere vt infideles: aut posteaquam suscepti fuissent spontè sua iterum egressi sunt: vt hæretici & schismatici: aut inde exturbati sunt, vt excommunicati, omnes pereunt, & pro eo quod coelum ascendere debuerant, in infernum descendunt. Est itaque ingens beneficium in hanc arcam admissum esse: atque in ea lumen fidei & peccatorum absolutionem consequutum fuisse. *Eratis*, inquit *Ephes. 5.* a postolus, *aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino.* Loquitur ibi Christi fidelibus, quibus ait, illos antequam ad baptismatis lauacrii accessissent in tenebris peccatorum vixisse: sed post sacri baptismatis susce-

susceptionem, in lumine gratiæ de-
gere.

S. August.

lib. 50. bom.

5.

*Nomē Chri-
stiani sine
re neminē
saluabit.*

Beati sunt igitur, si tamen uti S.
August. ait hoc nomine quod gerūt,
se dignos reddunt. Nomen Chri-
stiani nemini salutem adferet, nisi
illi qui se in puritate atque integri-
tate, quam in sacro baptisate ac-
ceperunt, conseruare: aut si eam per-
diderunt, illam recuperare studue-
rint.

*Ecclesia fi-
lii synago-
gæ perfecti-
ores esse de-
bent.*

Matth. 5.

*In quo con-
sistat perfe-
ctio Christi-
ana.*

Deus leges tulit filiis Israel: filijs
Synagogæ qua in re foeliciores atq;
digniores fuerunt cæteris Gentili-
um populis: At Ecclesiæ filij eos:
tantò amplius in virtutibus supera-
re debent, quantò perfectior est lex
Euangelica lege Moysaica. Quod
etiam Christus discipulos suos ad-
monuit cum ait: *Nisi abundauerit
iustitia uestra plusquam scribarum
& Phariseorum, non intrabitis in re-
gnum cælorum.*

Sed fortè quæres. A nima Christi-
ana, quæ sit ista iustitia in qua con-
sistat perfectio & puritas illa vitæ
quam Deus à Christianis exigit. S.

Paulus

Paulus respondet: vinculum perfectionis esse charitatem. Et S. Gregorius, inquit: Probationem dilectionis esse exhibitionem operis. Nūquam enim vt idem ait, Dei amor est otiosus. Operatur enim magna si est: si verò operari renuit, amor non est. Quisquis ergo perfectus Christianus esse cupit, in bonis & cum pietate susceptis actionibus se se exercere debet, nominatim in illis quæ diuinis præceptis indicantur: neque id duntaxat vt aiunt, secundum actus substantiam, aut perfunctoriè tantum, sed cum maxima qua fieri potest dilectione. Ecce vides, in quo generaliter loquendo perfectio & puritas vitæ Christianæ consistat. Verum ad particularia descendendo, necessarium in primis est vt quantum potest vitet omne peccatum, etiam veniale. Etenim quamuis veniale peccatum charitatem & gratiam Dei non auferat quemadmodum facit mortale, nihilominus ex eo quod Deo displicet cōmaculat animam, atq; illam

S Gregor.
hom 30. in
Euang.

Venialis
peccati da-
ma.

po-

poenarum temporalium reum efficit: & quod amplius est charitatem refrigerat & hominem ad mortale peccatum disponit.

Hinc Ecclesiasticus: *Qui negligit modica paulatim decidet.* Ratio hæc est quia quemadmodum guttæ aque super terram quæ totum aliquod ædificium sustinet, decedentes, illam ita corrumpunt, vt tandem oneri succumbens, totius ædificij ruinam post se trahat. Ita peccata venialia vsque adeo refrigerant & debilitant charitatem, vt venientibus tentationum ponderibus, illam prorsus opprimant & suffocent. Neque modo fugienda sunt omnia venialia peccata, atque virtutum actus exercendi, vt vita pura, integra & sancta ducatur: opus est etiam vt hæc omnia puritate intentionis sociata sint. Pura inquam intentione, quæ solius Dei honorem gloriam & beneplacitum spectet. Nam qui alium sibi suisque actionibus scopum proponit, à vera meta aberrat, atque omnium laborum & sudorum suorū

Puritas intentionis in operibus homini Christiano necessaria.

rum merita perdit Quapropter re-
 ctè monet S Paulus Apostolus *Siue
 manducatis inquit siue bibitis, vel a-
 liud quid facitis omnia in gloriam
 Dei facite.* Illi enim qui opera tua
 idcirco agunt, vt videantur ab ho-
 minibus *receperunt* vt Christus ait,
mercedem suam. Consequuntur in-
 de honores, mundanos, & commo-
 da temporalia, sed gloriam coelestè
 & æterna bona non adipiscentur.
 Amplius adhuc dico, cum pura in-
 tentione iungendam esse promptâ,
 & piam affectionem. Docet id S.
 Paulus: *Non ad oculum seruientes,*
quasi hominibus placentes sed vt ser-
ui Christi facientes voluntatem Dei
ex animo cum bona voluntate serui-
entes. Hilarem enim vt idem Apo-
 stolus alibi ait *datorem diligit Deus.*
 Hanc doctrinam, sacra scriptura te-
 ste, benè obseruauit Abel, qui Deo
 sacrificium oblaturus optimū quod
 in grege suo habuit eligit, atque il-
 lud cum feruenti & deuota atque
 prompta affectione, obtulit Deo, ac
 proinde Deus respexit ad munera
 eius

*Alacritas
 & deuotio
 in bonis ope-
 ribus pura
 intentioni
 iungenda
 est.*

eius & sacrificium illius gratū habuit. Cain autem è contrario pessima quæque de frugibus eligens illa frigido corde, atque inuitus ac dolens obtulit Domino atque idcirco Deus oblationes illius reiecit, atq; abominatus est.

Ex his quæ hætenus dicta sunt, Anima fidelis, manifestè cernis perfectionem atque puritatem Christianæ vitæ, in charitate consistere atque vt is qui eam foris elucere vult, in bonis se actionibus, cum deuotione, ac sincera intentione exerceat: & ne charitatis dispendium patiatur à peccato mortali, quod eam extinguit, atque à peccato veniali quod eam refrigerat sibi sollicitè caueat.

*Mandata
Des facilia
sunt.*

Hæc non minus decentia homine Christiano, quam ad exequendum facilia sunt, diuina nimirum adiuuante gratia, quæ omnibus pro viris laborantibus semper præstio fuit. *Mandata illius, inquit S. Ioan. Apost. grauias non sunt, & Christus ait: Iugum meum suauis est, & onus meum leue.*

lene. Si tecum expendas, Anima Christiana quis ille sit qui hoc à te debitum exigit: si excellentiæ status tui rationem habes: si oculos mentis in præmiū illud ineffabile quod tibi pro labore tuo asseruatur conijcis: omnia facilia & iucunda reperies. Qui hoc exigit Deus est, creator & Redemptor tuus. Status ad quem vocata es Christianismus est, status sanctitatis, quemadmodum S. Petrus Apostolus docet, quando sic loquitur Christianis: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitiones. Acquisitus, non corruptibilibus auro vel argento, sed precioso sanguine agni immaculati Christi.* Præmiū vero quod expectas est vita æterna, & omnium bonorum consummata perfectio. Ex his considerationibus faciliè incitaberis ad persequendam perfectionem & vitæ integritatē tibi necessariam. Quod si nec illæ sufficiunt, propone tibi ob oculos pœnas ac supplicia eorū qui gratia Dei quam acceperunt in

K baptis-

*que consideratione
extentione
divinorum
mandatorū
facilem red
dant.*

Foram qui
gratia Dei
accepta a-
butur ut,
supplicia.

baptismo, & quando in Christiano-
rum numerum admissi sunt, abu-
tuntur. Christiani, ait S. Chryso-
st. qui contra diuinas leges peccave-
rint, tanto grauiora supplicia per-
ferent, quanto plus gratiæ, honoris,
ac doctrinæ acceperunt. Nomen
Christiani non saluabit eos, sed po-
tius condemnabit, quandoquidem
conuersantur non dicam vt Iudæi
& Gentiles, quemadmodum non-
nulli faciunt, sed vt Christianite-
pidi, & in his ad quæ tenentur lan-
guidi & dormitantes. In Euangelio
narratur decem fuisse virgines, qua-
rum quinque prudentes extiterint
& quinque fatuæ.

Prudentes quidem cum lampa-
dibus ardentibus obuiam Christo
sponso venienti processisse, atque
cum illo ad nuptias intrasse. Fatuas
vero, cum lampades suas extingui
permisissent, à nuptijs exclusas esse.
Qua parabola innuitur, eam animã
quæ non habuerit lampadem igne
charitatis, & oleo bonorum operũ
ardentem à coelesti sponso repel-
lendam

lendam, & infernalis tyranni præ-
 dæ dimittendam esse. Christus ipse,
 ne quisquam ignorantia causam
 possit prætexere, id indicat, cum di-
 cit: *Mult i dicent mihi in illa die: Do-
 mine Domine nonne in nomine tuo
 prophetauimus & in nomine tuo de-
 monia eiecimus, & in nomine tuo
 virtutes multas fecimus? Et tunc cõ-
 fitebor illis: Quia nunquam noui vos.*

Prospice igitur, Anima Christia-
 na, negotijs & rationibus tuis, &
 noli solo nomine Christiano con-
 tenta esse, sed re ipsa & opere Chri-
 stianam te exhibere contende. Id
 autem vt assequaris, opem B. Virg.
 Mariæ ducis tuæ implora & roga
 illam cum omni humilitate, quem-
 admodum eam superius in alijs ne-
 cessitatib. rogasti, vt tibi paret iter
 expeditum & securum per quod
 ad desideratum æternæ salu-
 tis portū pertingere
 valeas.